

CAPUT XXVIII.

terofque pene omnes, invidioso Jansenianorum nomine infamari solitos viros, Molina defensoribus, & gratia per se efficacis hostibus aliquando tandem adscribat. Vix enim unus illorum occurrat, qui Arayii systema non statuat, missoque physica prædeterminationis nomine, gratiam efficacem, in sola delectatione, ac suavitatis victrici positam, non agnoscat.

Qui plura volent, & Arayii mentem de ipso doctrinæ articulo quinti, & sexti dubii calcem, ubi post motam de nomine litem, ita demum Molinam, ejusque de Divinæ Gratiæ efficaciam sententiam, cum universo Thomistarum grege rursus exagitat, sequitur secundo, ait ille, ex *hujus nostræ questionis resolutione, falsam omnino esse doctrinam noviorum quorundam Theologorum, quibus adhebit Ludovicus Molina libro citato, quest. 14. disp. 38. que affirmat, in libera humani arbitrii facultate positum esse, ut gratia Dei, operans, & præveniens, fiat cooperans, & subsequens; & quod auxilium Dei sufficiens reddatur efficax; & quod conditionata Dei voluntas fiat absoluta, & determinata. Hujus doctrine falsitas ex eo constat, quod ostendimus, humanum arbitrium in omni studiosa operatione proveniri a Deo Auxilio efficaci, ipsum hominis arbitrium prædeterminante, prædeterminatione saltem morali; que, licet nulla ex parte humane voluntatis libertatem minuat, efficaciter tamen illam modo quodam suavissimo, & ejus nature valde accommodato, ad omnem hujusmodi actionem, præsertim supernaturalis ordinis, prædeterminat. Itaque liber ipse voluntatis consensus, quo Deo vocanti & inspiranti consentit, non determinat ipsum Dei concursum, & prævium auxilium: sed e contra ipsa humana voluntas a Dei prævenienti auxilio ad talem consensum efficaciter prædeterminatur: atque adeo efficacia Divinorum auxiliorum nullatenus a libero voluntatis usu pendet, nisi ad eum modum, quo efficientia causa dicitur pendere ab effectu, ut a terminante ipsam causæ efficientiam, que cum proprietate dependentiæ appellari non potest. Similiter quod gratia Dei operans vim habeat, & rationem cooperativæ gratiæ, non ad humano arbitrio desumitur, sed ab ipsa Dei voluntate, ex qua utriusque gratiæ rationem sortitur: & tamen quod Dei voluntas absoluta sit, & efficax, comparatione ad actus humani arbitrii studiosos, & supernaturalis ordinis, ex semetipsa habet, sicut & habet omnem aliam sui perfectionem.*

Posset forte dubitari, an potuisset Deus ita nature ordinem, & gratiæ disponere, ut efficaciam Divinæ voluntatis, Divinæ Gratiæ, Divinorumque auxiliorum, ex libero humani arbitrii usu, tanquam ex quadam conditione, penderet. Verum quod de facto ita contingat, falsum omnino, & improbabile esse, censo: quia neque decet ipsam Divinæ providentiæ majestatem, ac suavitatem: & quia sacre Litteræ nos docent oppositum, in his maxime operibus, quibus eterne prædeterminationis ordo in tempore consumatur. Non enim principem tantum, ac præcipuum locum Divinæ Gratiæ in ordine prædeterminationis tribuunt; nec omnem dependentiam ab humano arbitrio, etiam ut a conditione quadam requisita, denegant &c.

Legat & eundem in universam Aristotelis Metaphysicam Commentarios, lib. 8. quest. p. art. 4. in Appendice, ubi præmotionem ex se efficacem, & efficaciter prædeterminantem ad actus causarum omnium etiam liberarum, multis demonstrat. Molinam, Fontecam, Suarem, Lessium, Conimbricenses, ceterosque hac parte Angelicæ Scholæ otores durius excipit, illorum in opposita argumenta diluit, ut nihil ultra a studiosissimo doctrinæ Thomisticæ sectatore desiderari merito possit.

Paulus V., alique subinde Pontifices silentium de Divinis Auxiliis indicant, fovende interim pacis studio, donec meditatare Judicium prædat.

Item de Divinis Auxiliis intentatam, atque integro plane decennio mature discussam, in suspenso posuerat Paulus V., dato fideiario Rescripto, fidemque Pontificiam promulgandæ meditate definitionis oppignorarat. At, ut erat præteritarum controversiarum memoria recens, nec satis litigantium animi, diuturna velitatione exasperati, in officio contineri poterant; silere illos omnino voluit, ne qua forte suboriretur novæ liti occasio. Omni de Divinis Auxiliis tractatione interdixit, die 1. Decembris 1611. solenni Romanæ Inquisitionis Edicto. Sanctissimus D. N. decrevit, (sic enim habebat) ut scribatur Nuntiis Apostolicis, quod notificent, & ordinent Superioribus Religionum, Universitatibus studiorum, & Ordinariis sue Nuntiaturæ, ne sinant imprimi in materia de Auxiliis, etiam sub pretextu commentandi S. Thomam, aut alio modo: Et qui volunt de hac materia scribere, & imprimere, prius mittant tractatus, & compositiones ad hanc sanctam Inquisitionem.

Hoc idem Urbanus VIII. die 22. Maii 1625., interminatis etiam pœnis, ex eisdem Inquisitionis Consulto confirmavit, in hæc verba.

„ Feria V. die 22. Maii, anno a Nativitate „ D. N. Jesu Christi. 1625.

„ In generali Congregatione S. Romanæ, & „ Universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico apud S. Petrum, coram S. D. N. Urbano, Divina providentia Papa VIII. ac Illustrissimis, & Reverendissimis S. R. E. Cardinalibus, in universa Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Inquisitionibus Generalibus, a Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

„ Cum alias felicis recordationis Paulus Papa „ V. Prædecessor noster, Decretum in generali „ Congregatione S. Romanæ, & universalis Inquisitionis ediderit, tenoris sequentis, videlicet, „ Sanctissimus D. N. decrevit, ut scribatur Nuntiis Apostolicis, quod notificent, & ordinent Superioribus Religionum, Universitatibus studiorum, „ & Ordinariis sue Nuntiaturæ, ne sinant imprimi in materia de Auxiliis, etiam sub pretextu commentandi sanctum Thomam, aut alio modo: „ Et qui volunt de hac materia scribere, & imprimere, prius mittant tractatus, & compositiones ad hanc S. Inquisitionem.

„ Sanctissimus D. N. supradictum Decretum „ hoc suo præfati Decreto confirmavit, & innovavit; districte præcipiens, ac mandans omnibus, & singulis cujusvis Religionis, Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, etiam de necessitate exprimentæ, Regularibus, & aliis quibuscunque, tam Ecclesiasticis, quam secularibus personis, cujuscuque status, conditionis, gradus, & dignitatis, tam Ecclesiasticæ quam secularis, ut in posterum non audeant imprimere, vel quoquo modo in lucem edere libros, tractatus, vel compositiones, & professo, vel incidere, aut prætextu commentandi S. Thomam, vel quemlibet alium Doctorem, aut quavis alia occasione, pretextu, vel modo, de materia Auxiliorum Divinorum tractantes, sine expressa, & speciali licentia, a Sanctitate Sua in Congregatione S. Officii obtinenda; donec aliquid in hac materia a Sede Apostolica fuerit ordinatum. Ut autem hujusmodi Decretum in-

„ vio-

„ violabiliter observetur, eadem Sanctitas Sua voluit, & declaravit, contravenientes, pœnas privationis dignitatum, & officiorum suorum, vocis activæ, & passivæ, facultatis concionandi, publice legendi, docendi, & interpretandi, ipso facto, absque alia declaratione incurrere; & nihilominus aliis etiam pœnis, Sanctitatis Suae, & successorum suorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis, subjacere. Libros porro, quos in futurum contra præfati Decreti tenorem edi contigerit, absque alia declaratione, tanquam expresse prohibitos, haberi voluit: & Impresores, præter amissionem librorum, pecuniariis, aliisque corporalibus pœnis, juxta criminis gravitatem, teneri, mandavit; contrariis quibuscunque non obstantibus.

Hoc Urbanus VIII., cui fecit inde temporibus Innocentius X. die 23. Aprilis 1654., & Innocentius XII. die 28. Januarii & 6. Februarii 1694. confirmare.

Quis horum Decretorum sensus, diu, multumque initio questum est. Fuit, qui omnem de Divinis Auxiliis tractationem vetitam dicerent; quod ita Pontificum verba sonare videantur: alii unam de gratia se ipsa victrici, & efficaci questionem interdicam opinabantur: nonnulli Scientiam-Mediam; ceteri gratitatem prædeterminationem, ac physicas præmotiones, eadem silentii lege conclusas, existimabant. At, ut fatear, quod res est, major fuit in exponenda lege contentio, quam in servanda religio. De Divinis quidem Auxiliis scriptio bene multæ, tractationes, libri, iique plerumque spissi admodum, prodierunt, nulla licet Romanæ Inquisitionis accepta venia. Pro Schola Thomistica scripsit Didacus Alvarez, Thomas de Lemos, Michael Zanardus, Nazarius, Theophilus Muntius, Gonzales de Albenda, Scribanus, Gregorius Martines, Olivera, Cornejo, Guillelmus Gibiuffus, Guillelmus Camerarius, Philippus a S. Trinitate, Petrus Jammy, Xantes Mariales, Carmelitus Salmanticensis, Joannes a S. Thoma, Vincencius Baronicus, Antoninus Reginaldus, Paulus Faffeau, alique non pauci, qui de Divinis Auxiliis, deque agitata inter clarissimos Ordines controversia, seu ex instituto, seu ex occasione, multa dixere, nulla, quod sciam, petita licentia. Pro Moliniani partibus publico scripto decertant Franciscus Suares, Dicacus Ruiz, Joannes Martines de Ripalda, Gabriel Henao, Joannes Martinus, Theophilus Raynaudus, Franciscus Annatus, Petrus Fulfchius, Christophorus Ortega, Stephanus Dechamps, Paulus Leonardus, Jacobus Patelius, Eugenius Philadelphus, Franciscus Perrinus, ceterique numero plures, nulla licet Apostolicæ Sedis obtenta venia.

Quin etiam istorum unus, Joannes Martinus, qui adversus Jansenium, sub Antonino Moraines inverfo nomine (est enim illud anagrammaticum purum) spissum Opus ANTI JANSENIUS inscriptum elucubravit, nulla se Pontifici interdici religione teneri, confidenter pronuntiat, ex quo tempore non servatur hæc prohibitio, inquit, a Jansenii sectatoribus. Sed neque id pronuntiare, satis habuit; probavit quoque, ac variis etiam argumentis. Est enim, inquit, (1) celebre, atque indubitatum Theologorum, & Jurisconsultorum effatum: quando lex aliqua, vel præceptum, aut prohibitio, generaliter lata, non servatur a deteriori parte communitatis, & si ab altera servaretur, id videretur in magnum, & evidens tum ipsius, tum etiam Reipublicæ nocumentum, non tenetur pars sanior eam servare; neque intentio Principis fuit, aut esse potuit, ut servet in casu proposito. Ut si v. g.

servetur lex Ecclesiastica, ut beneficia speciali quopiam modo obtineantur; non tenentur soli boni, & timorati, quorum minor est pars, eam servare, aliis non servantibus: quia inde sequeretur, solos deteriores consequi beneficia Ecclesiastica, magno Ecclesiæ, & fidelium damno. Vel si, orta gravi, & publica dissensione inter incolas alicujus Civitatis, aut Provinciæ, Rex, promovende pacis causa, vitandique mali impendentis, juberet, statim arma deponi ab utraque parte; non teneretur pars sanior ea deponere, deteriori non deponente, sed abutente alterius obedientia, ad servandum, & grassandum pro libito. Sic igitur, quamvis mens Pontificis fuisset, ut omnes penitus ejusmodi controversiæ vulgandis desisterent, quod ad dissidium extinguendum, pacemque revocandam, & fovendam conducibile fuisset, si pars utraque Mandato, ut par erat, morem gessisset, & Jansenii Augustinus æterno silentio seipsum fuisset. Cum tamen, ut manifestum est, non servetur hæc prohibitio a Jansenii sectatoribus, qui, ea non obstante, nihil non faciunt, & hucusque fecerunt, ut tum libris editis, tum quibuscuque aliis possunt modis, sectam suam propagent, in animarum perniciem, & grave damnum Ecclesiæ, non teneretur pars sanior Doctorum orthodoxorum stare prohibitioni, que servari nequit hoc tempore, sine gravi animarum perniciæ, & Ecclesiæ detrimento.

Joanni Martinono dat manus Philippus Brietius, ejusdem Instituti Socius, qui quod domi didicerat, Annalibus prodidit: Inhibite fuerunt, ait ille, de hac materia scriptioes, & libri: sed eas prohibitiones Janseniani magno Ecclesiæ damno violant; atque ut confutari possent, Catholicos ut idem facerent, pene nolentes coegerunt.

Rogandi hic obiter viri boni, quibus hæc nostra lucubratio stomacho forsitan erit, nobisque inditum silentium fortassis objicent, num quod Martinono, quod Brietio, hoc & nobis usurpare liceat? Quodque illi pro Jansenio confutandum fas esse sibi reputarent, hoc & nobis, pro confutandis ineptiis, fabellis, fas etiam fuerit? Nam & Moliniani, fabularum istarum servidi venditores, indicta silentia violant: arma, que deponi jussert Pontifex, nulla obtenta venia, resumperunt, nostraque jam ad fabulandum religione abutuntur. Quidni ergo Martinoni consiliis obsequemur, dicamque cum Brietio: Inhibita fuerunt de hac materia scriptioes, & libri; sed hæc prohibitiones Moliniani magno veritatis damno violant; atque, ut confutari possent, Thomistas, ut idem facerent, pene nolentes coegerant.

Theophilo Raynaudo stomachum fecit aliquandiu Pontificium hoc interdictum. Ut ab Alexandro VII. post damnatas quinque hæreticas, illas propositiones rescinderetur, supplicavit, edito singulari Opusculo, cui titulum fecerat: Theologia supplex, (2) instructa libello, pro libera questione Scholasticarum inter Doctores discussione, cum charitate, atque modestia. Multiplici argumentorum genere probandum, sibi sumpsit, minus hoc interdicto Ecclesiæ dignitati, & utilitati consultum esse; multaque ex eo damna prope diem oritura, nisi brevi rescinderetur. Verum, ut erat ille impotentis adversus Prædicatorem Ordinem livoris, invidiæ, maledicentiæ, non potuit, quin toto passim Opusculo ingenitum sibi virus, & bilem effunderet. Prædicatores indicendi hujusce gentilitii apud Summos Pontifices auctores fuisse, ubique passim oblateat, ac sילו, ut affolet, salito admodum, ac piperato. De interdicto interponendo, Apostolicæ Sedi ab iis suggestum, quaeritur, quod causa sua diffidentes, ejusdem demeritati prospectum voluerint suppressione librorum, ac scriptioem, quas magno numero Socie-

tas

tas profundisset. Proh supercilium, & infrunitam audaciam! Ludam operam, si vaniloquium multis exagium. Quasi vero Prædicatores, post bellatum ante dies aliquos, triumphatumque Molinismum, ea arte equissent, ut sibi, sueque doctrinæ consulere; Societatemque, indico silentio, exarmarent, ne quam forte scholæ Thomistica cladem inferret! Sic sane vanissimus, ac mordacissimus Scriptor illudit, ut generosissimos pugiles, qui tanta cum gloria paulo ante certaverant, veluti dissidentes, meticulosos, & Molinianis armis terrosos traducat; cui potius optandum erat, ut gladium Molinismus recondidisset citius, atque etiam injussus: non erat illa certe fatali, quam ante susceperat, clade doliturus.

Non ea ergo umbella Pontificia victricis Gratia Defensoribus opus erat, ne per diem a Moliniano sole urentur, aut a lana Saresiana per noctem. Sed fuit hæc prudens Apostolica Sedis cautio, ne pristina litigantium odia succrescerent, causamque, in suspensio positam, novis ambagibus implicarent. Tantumque abest, ut, Prædicatoribus supplicantiibus, lex illa silentii lata sit; quin potius rescindi illam, statim atque a Paulo V. vulgata est, porrecto libello rogavit universus Ordo, in Comitibus generalibus, anno 1612. Romæ habitis, dum pro vulganda pendens controversia definitione supplicavit. (1)

Cæterum neque id satis Urbano VIII. visum erat, omni de Divinis Auxiliis tractatione interdixisset: legem severiorem, diris etiam interminatis, edixerat anno 1641. pridie nonas Martii, qua nedum omnis de Divinis Auxiliis, ac libero arbitrio Theologica scriptio, sed & quævis etiam de concursu Causæ primæ cum secunda Tractatio Philosophica prohibebatur. Mandamus omnibus, inquiebat Edicto suo, (2) & singulis cujusvis Religionis, Ordinis, & dignitatis, Abbatiali, Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali dignitate suffultis, Collegiis, & Universitatibus, sub penis excommunicationis, ipso facto incurrendis, interdicti Ecclesiastici, atque arbitrio nostro præcis infingendis, etiam corporalibus, ne in posterum audent imprimere, nec quoquo modo in lucem edere libros, Tractatus, Compositiones, ex professo, vel incidenter, etiam sub pretextu commentandi S. Thomam, seu in physicis agendi de concursu causæ primæ cum secunda, aut quavis alia occasione, vel modo, de materia Auxiliorum Divinarum, seu de gratia, & libero arbitrio tractantes, sine expressa licentia, a nobis in dicta S. Officii Congregatione concedenda, donec aliud in hac materia a Sede Apostolica prædicta fuerit determinatum.

Verum effectu caruit interdictum, non ipsa duntaxat licentia privatorum, qui jugum licentiarum exueverunt; sed & ipsa annuente Apostolica Sede, quæ in Italia ipsa, atque etiam Romæ, ritas illas de humani arbitrii libertate, & physica Prædeterminatione tractationes liberas facit.

In una, quod sciam, Inquisitione Avenionensi Urbani Edicti per omnia capita religio viget. Quocirca lis gravis, & aspera Inquisitorem inter, & Societatem emerit anno 1659. Negaverat scilicet ille typorum veniam, veteratque, ne Theses publicæ haberentur, quibus hæc propositio inserta erat: Deus concurrens immediate ad omnes actiones creaturæ; nec tamen est causa peccati. Determinatio quoad speciem, & exercitium est a causa secunda libera; quod individuum, a Deo. Non datur Prædeterminatio physica. De injuria, & vi, Societati, ut putabat, illata, expostulavit, dato libello,

P. Labbæus coram suprema Inquisitione Romana. At, re ad examen vocata, actione submotus est Actor, laudata Quæstiteris Avenionensis in servando Decreto Pontificio vigilantia; vetitumque, ne Theses, a Jesuitis meditata, vendideretur. Sic sane Romane Inquisitionis nomine Rescripto suo significavit Franciscus Cardinalis Barberinus, in hæc verba: *Molto Reverendo Padre. Essendo viorso alla sacra Congregatione, con l' incluso Memoriale un Padre Gesuita, ordinano questi miei Eminentiissimi, che Vostra Reverenza, inberendo a gli ultimi Decreti, non ametta la Thesa, nella quale egli, asserisce: Non datur Prædeterminatio physica. Così dunque esquisita, e invigilet per l' osservanza di Decreti Pontifici in simili materie. E la prego contento. Roma 6. Settembre 1659. Di V. R. Come fratello, Francesco Card. Barberino. Quam Epistolam ita Latine reddas. Admodum Reverende Pater. Cum ad hanc sacram Congregationem, dato adjuncto libello, provocavit quidam Jesuita; jubent Eminentiissimi Domini mei, ut Reverentia Vestra Decretis, ultimo datis, inberens, Thesim illam nequaquam admitat, qua is asserit: Non datur Prædeterminatio physica. Sic ergo Congregationis jussa compleat Paternitas Vestra; & Decretorum Pontificiorum executioni, quavis simili occasione data, invigilet. Vale. Datum Romæ, die 6. Septembris 1659. Vestre Reverentia, quasi Frater, Franciscus Cardinalis Barberinus.*

CAPUT XXIX.

Philippus III., Hispanie Rex, Prædicatores, & Jesuitas in mutuum gratiam reducit; datis servande inter sese, dum interim de doctrina disputare pergunt, humanitatis, & caritatis conditionibus. Has Jesuitæ primi violant.

Quod alias Paulo V. Illustrissimus Armachanus timendum innoverat, ne, si causæ definitionem intermitteret, majora inter Religiosos Ordines odia succrescerent; inselicer illud, ac longe, quam timebatur, gravis accidit. Subintravit in suscepta causa pro litigantium conditione disensiones, similitates, studia partium, aliaque hujusmodi odiorum semina; quibus presumptio, arrogantia, livor, opinio constantia; defenso famæ fomitem ministrabant.

Ab anno 1594, quo prima cœperat mali labes, (3) ad annum 1612. omnis Prædicatores inter, & Jesuitas interdicta societas, commercium in scholasticis exercitationibus plane nullum: quin & illud Edicto Regio cautum erat anno 1596, ne quid forte pejus accideret. Dictæ vero de se invicem, scommata, sales, facetiæ, obloquutiones mille; atque, quod gravius, interdum ex pulpito: quæ omnia ex majorem offensionem habebant, quod ab eis agerentur, qui & exemplo condire plebem, & religiosa conversatione cæteris præluere debeant.

Hoc vidit Excellentissimus Dux de Lerma, supremus Hispaniarum Administrer. Religioso nomini, & Republicæ tranquillitati consultum, voluit. De conciliandis affectibus cogitavit, dum interim summus Ecclesiæ Hierarcha de doctrinæ diffidiis pronuntiaret. Consilium aperuit Philippo III., a quo idem ipse pacis sequenter datus est, ut in hanc curam incumberet Regio nomine.

Partes illas in se suscepit Dux pietissimus, mense Aprilis 1612. Prædicatorum, & Societatis Præpositos Provinciales duxit in Palatium, rursi

sepo-

sepositum; ubi cum Regio Confessario, aliisque primariæ Nobilitatis viris, qui in alterutro partis studia venierent, contulit ea de re, quæ majori pietate, & studio potuit. Expulit, quam gravis ex diurna illa diffensione Religioso nomini labes accederet, quæ inde secuta Ecclesiæ scandala, quæ fidelium offensio, quæ damna patriæ, quæ demum illata Deo injuria. Agendum, inquit, de voluntatum, affectuumque concordia, quæ, dissidentibus etiam animis, stare potest, ac seponenda aliquantulum doctrinæ consideratio, de qua Summus Pontifex, conjunctis studiis, ac Regio nomine, rogandus esset, ut, quod definiat, palam ederet. Hinc priora damna refarcienda inuebat, illatumque Ecclesiæ, ac Republicæ dedecus absderendum: cui nisi brevi, inita pace, consultum esset, deterius aliquid ominabatur. Subjunctum demum, atque in id potissimum institit, Regem id, supra quam dici potest, gratissimum habiturum; immo & Deum ipsum, cui nullum, semota charitate, tuendæ veritatis probatur studium.

Placuit universo cœtui Excellentissimi Ducis consilium. Re ad examen vocata, collatisque partium momentis, omnium una sententia fuit: nedum pacem inter Ordines inueandam, sed & externa quadam significatione probandam esse, quæ cæteris exemplo foret. Dati, qui de conditionibus agerent, Prædicatorum quidem nomine, Provincialis Hispaniæ, & Hieronymus de Tiedra; pro Societatis jure, Provincialis pariter Hispaniæ, cum Hieronymo de Florentia; statutumque id communem cæterorum assensu exceptum iri, quod illi mutuo decernerent.

Actum igitur inter illos de pacis conditionibus. Sex summo consensu posuerunt, quas ab Ordinum Superioribus executioni demandari necessum esset, decretis in transgressores penis gravissimis, citra veniam omnia infingendis. Additumque, ut per utramque Provinciam, atque etiam Romam ad Ordinum Generales pacta conventa transmitterentur, una cum Regis Catholici, & Ducis de Lerma Epistolis efficacissimis, quibus suam de illorum obsevantia voluntatem testarentur. Hæc porro fuerit conditionum capita.

1. Ut se invicem Prædicatores, & Jesuitæ ad scholasticas exercitationes invitarent, iidem invitari interesset, ac disputare dignarentur: Quod ne minus honeste fieret, vetitum, ne quis in publicis congressibus opinionem, a classicis Auctoribus admittis, invidiosis notis, ac censuris afficeret.

2. Ut, conjunctis votis, pro controversiæ Auxiliorum definitione, Summo Pontifici supplicarent, suasque ad hoc ipsum preces adderet Rex Catholicus.

3. Ut Patres Societatis S. Thomæ doctrinam sequerentur ut plurimum; ejusque auctoritatem in iis etiam questionibus, quibus ab eius Schola dissentiant, summa veneratione exciperent.

4. Ne quis ex pulpito partem alteram in publicis Concionibus inderet didicis, salibus, aut facetiis.

5. Ne in privatis colloquiis de se invicem minus honeste loquerentur; sed ea potius verba usurparent, quæ charitatem spirent, humanitatem, urbanitatem.

6. Ut mutuos defectus ex charitate sustinerent, condonarent, atque interdum pro pacis studio dissimularent; ita tamen, ut qui pro delicti merito castigandi forent, ad Superiores deferrentur; pars vero læsa, accepta satisfactione, quiesceret.

Iis summo assensu constitutis, ad Regium Tribunal delata res est. Coram Duce de Lerma,

Serry Tom. I.

aliisque Magnatibus, qui a partibus stabant, necnon præsentibus delegatis, qui pacta conventa definiant, de meditata pace retulit coram Rege Ludovico Alaga, sue Majestati a Confessionibus. Sponderunt, qui aderant, Superiores Ordinum conditionum obsevantiam; seque omni studio curaturos, promiserunt; ut intra ditionis fines, qua majori posset, fide, ac religione servarentur.

Rem gratissimam habuit Rex Catholicus, conditionum capita probavit, suasque auctoritate communiavit. Fausa pacis initia per sua in Religiosos Ordines humanitate gratulatus est; nunquam defuturum, inquiens, Regii nominis patrocinium, ut prospero exitu cederent, quæcumque ab Excellentissimo Duce meditata fuerant. Præ cæteris vero pollicitus est, se apud Pontificem omni studio curaturum, ne ultimam Auxiliorum definitionem ultra protenderet, qua una pacem integram, & omni parte cumulatissimam sanciri posse, certo noverat. Quo dicto, Præpositos Provinciales, illorumque socios, ad Majestatis Sæ pedes provolutos, erexit, ac dimisit. Abentes in Antithalamo stetit aliquantum Dux de Lerma; nec antea exire sivit, quam de viro, ex quolibet Ordine Romam delegando, convenissent, pro urgenda definitionis Apostolicæ promulgatione; cui, cum illi mutuum fidem obligassent, abiere.

Ut primum Matræi vulgari cœpit inite pacis compositio, non una omnium opinio fuit. Erant, qui perennem illam opinarentur ob solennem Præpositorum Provincialium fidem, Regi datam, quam violare scelus esset: diurnam nonnulli saltem ominabantur, ob Excellentissimi Ducis auctoritatem, qui pacis sequenter, & sponsor a partibus exceptus erat. Alii, e regione positi, brevi solvendam, existimabant ex ipsa paciscentium indole, qui, cum diuturno diffidio commissi fuissent, non ita facile pristinos affectus exuere, prioremque simularum oblivisci possent. Ar qui altius sapiebant, quique secretiora Romæ gestorum arcana noverant, ne pacem quidem appellabant, sed violentam Jesuitarum simulationem, in quam illos proprii nominis fama vel nolentes, & invitos induxerat. Et quidem, si illos nequaquam latebat, quid contra Molinam a Romanis Judicibus constitutum esset; quid repetitis censuris proscriptum; quid delineata Bulla sancitum, damnatumve; quis eos sincero animo spondidisse putet, una se cum Prædicatoribus pro sancti Judicii promulgatione supplicaturos? Itane, amabo, stipes erant, ut pro Scholæ suæ damnatione supplicare vellent; quos tanti potius intererat, extremam illam juris solemnitatem nunquam accedere? At honoris stimulo conditionem hanc specie saltem acceperant; ne si illam coram Rege repudiarent, suspectum sibi iudicium faterentur.

Cæterum, quid rei fuerit, exitu comprobatum est. Promissis stetit Rex Catholicus: Paulo V. Litteras dedit sub finem Aprilis, quibus longe, quam antehac, vehementius instabat pro Definitionis Apostolicæ promulgatione: nullam Regno suo pacem futuram, inquiens, nisi hæc ultima juris forma Auxiliorum controversiam dirimeret; sedque in Romana Curia Oratori jussit, in hoc unum intendere, omni cæterorum negotiorum cura seposita. Non ab simili religione exsolvit, quod promiserat, Prædicatorum Præpositos Provincialis, die circiter Aprilis 15. Antonio de Sotomajor, Romam versus ad Generalia Ordinis Comitia iter paranti, in mandatis dedit, ut totius rei gestæ seriem Comitibus exponeret, adduceretque universos ad Apostolicam controversiæ definitionem, communibus votis, ac supplicationibus

X x

postu-

(1) Vide infra e. 30. & in memor. libel. in Appendice Num. XVII. (2) Vulgatum duntaxat est anno 1643. die 19. Junii. (3) Lib. 1. c. 25.

postulanda. Non longe post in universam Provinciam transmisse encyclicas Epistolas, quibus, interminata privationis poena, aliisque gravioris culpæ reis, in Ordine suo infissi solitis, pacta conventa servari iussit: primum ob datam iuramentum fidem; tum ob debitam Regio nomini reverentiam; ultimo Excellentissimi Ducis gratia, qui seipsum pacis sequestrum obtulerat. Epistolas ita concludebat, post prolixam gestorum omnium, & conditionum enarrationem.

(1) Moveat itaque vos ad istorum omnium observantiam contracta a nobis solemniter obligatio cum Rege, Domino nostro, cum Excellentissimo Duce de Lerma, cum Reverendissimo Patre, Sua Majestatis Confessario, cum multis denique Curia Magnatibus, qui negotium istud omni parte absolutum arbitrantur. Ingens quippe dedecus esset, si sub tantis auspiciis, ac voluti fidei nostre vadibus, pacta conventa negligerentur. Ego quidem de vestrum omnium prudentia, ac religione bene spero, futurum ut vel ipsa sola honesti ratione ad fidem nostram liberandam adducamini. Verum, ne quos fortasse statu degeneres vel fidem in Regem, cui nos obligavimus, vel Religionem in Deum, qui istud Prælati voco, ac ministerio jubet, violare contingeret, harum serie, nos frigue auctoritate officii precipimus sub formali precepto omnibus, ad Provinciam nostram Hispanie quomodolibet pertinentibus, ut sex enarrata compositionis capita religiosissime implent, & observent, sub gravissimis poenis, transgressoribus infingendis. Ne quis autem ignorantiam obendant, per presentes declaramus, eos omnes ab officio citra veniam absolvendos, aliisque pro arbitrio poenis castigandos, quos in primo caput peccato contigerit, si nempe oppositis opinionibus notas, ac censuras inuallere. Circa secundum, & alterum caput, non est, cur poenas denuntiemus, cum eorum executio ad Patres Societatis attineat. Idem de quarto capite, ac de primo declaramus, in eos, qui in sacra pulpito quidpiam protulerint, unde Patribus Societatis conquerendi ratio suboriri possit: qui ultra privationem ab officio concionatoris, poenis gravioribus punientur. Qui deum in privatis colloquiis minus honeste de tam religiosa Instituto, ejusque Professoribus locuti fuerint, pro prima vice subjicientur poenæ gravis culpæ, & ad alios Conventus transmittentur; pro secunda, tanquam inemendabiles, & discipline consentientes, poenæ gravis culpæ subjacent. Monemus vero Paternitates Vestras, indicatas poenas pro Superiorum arbitrio minime non posse; cum & eadem illa favoritas a Patribus Societatis servanda sit, juxta promissionum fidem, & Sæ Majestatis voluntatem: cui ita sancita placuit, ne Superiores a statutis poenis dispensare valeant. Me vestris orationibus plurimum commendo. Datum in nostro Conventu nostra Domina de Atocha, Martii die 26. Aprilis, anni 1612. Fr. JOSEPH GONZALES, Prior Provincialis.

Dum hæc pro fide promissorum a Rege Catholico, & a Prædicatoribus agitur, pactorum fidem Jesuitæ violant. Theses Theologicas defendunt Vallisoleti, sub Mail sinu, ubi, posthabita priori conditione, Scholæ Thomistica præcepto dogmati invidiosas notas inurant. Non est, inquebant, prædeterminatio physica; quia, ut opinamur, destruit libertatem, tollit auxilium sufficiens, & Deum facit auctorem peccati.

Quis hæc agendi rationem probet? Prudentum enim fuerat, & amicorum, (uti non absumili occasione notaverat Hieronymus (2)) post reconciliatam similitatem, etiam leves suspiciones fugere; ne, quod fortuito fecissent, consulo facere, putarentur. Neque enim illos fugisse, putandum

(1) Ex Hispano Latine datur. Exstat in Archivis General. Præd. (2) Lib. 1. Cont. Rufin. (3) Ex Hispano Latine datur.

est, celebratum illud Tullii Ciceronis, in Commentariis casuarum, pro T. Gabinio: Ego cum omnes amicitias tuendas semper putavi summa religione, & fide, tum eas maxime, quæ essent ex inimicitias revocata in gratia, propterea quod, integris amicitias, officium prætermissem, imprudentia, vel, ut gravior interpretetur, negligentia excitatione defenditur: post reditum in gratiam, si quid est commissum, id non neglectum, sed violatum putatur; nec imprudentia, sed perfidia assignari solet.

Rei nuncius ad Duce de Lerma confestim perlatum est. Obstupuit ad præcipitem illam fœderis violationem, qua sibi, & Regi irrogatam injuriam sentiebat. O quam nutantem pacem, exclamavit, quæ a Jesuitarum sinceritate, ac fide penderet! O quo arripegenda est la paz, que tiene por fundamento la fe, y palabra de los Jesuitas! Et quidem Thomistico dogmati distinctam hæreses notam non affricuerant, ut erat in pactis: ac eo dogmate & perimi libertatem, & peccati auctorem Deum fieri (i quibus capitibus cubat hæresis) pronunciaverant subtiles conventorum interpretes; viro illo haud paulo callidiores, quem Cicero Lib. 1. de Officiis laudat, qui, quem triginta dierum inducias cum hoste pactus esset, noctu populabatur agros, quod dierum pactus pactæ, non noctium inducia. Scripsit Excellentissimus Vir die 2. Julii ad Summum Pontificem, & Cardinalem Burghesum; ut hoc novo petulantia argumento ostenderet, quantæ necessitatis esset, licet ultimo iudicio finire, & Majestatis Catholice votis responderet: cum vix alla coercenda audacia via suppeteret.

Eas Excellentissimi Ducis Epistolas, uti & alteram, a Rege Catholico Paulo datam, de qua mox dicebam, nusquam reperi: sed adeit, quæ commode lacunam implet, illa scilicet, quam hæc ipsa occasione dedit ad Generalem Ordinis Prædicatorum; cuius electionem, nondum licet, qua die scribebat, celebratam, faciendam nihilominus prope diem, & antequam adventaret Epistola, certo noverat.

REVERENDISSIME PATER.

(3), De summa Dei providentia, bene spero futurum, ut in hoc proximo Capitulo Generali ad eum eligendum corda omnium, & vota dirigat, qui totius Ordinis bonum promovere possit. Ego interim pro ea, qua in universam Prædicatorum Ordinem, voluntate, & animi devotione fecit, R. Paternitatis Vestre benedictionem in antecessum effragio; Deumque supplex rogo, ut eam ad Religionis profectum multos annos servet incolumem.

Fecit, innatus Genti nostræ, Religionis ardor, ut pro viribus adiret, Prædicatorum, & Societatem in mutuam gratiam reducere. Illos ideo in domum aliquam, ruri positam, invitaveram, simul cum Rege Confessario, ubi rationes utriusque exposui, quæ me ad id tentandum adducerent: ac præ cæteris singularem voluptatem, quam Rex de mutua illorum concordia percipere esset. Comarum assensu delegati sunt, qui de conditionibus agerent, duo scilicet Præpositi Provinciales, & Hieronymus de Florentia, ambo Regi a Concionibus. Sex statuerunt conditionum capita, de quibus Paternitatem Vestram monet Provincialis Hispanie in ea, quam Romam mittit, totius facti narratione. Post dies aliquot idem illi simul cum

cum Rege Confessario Regem adire; cui, post narratam totius negotii tractationem, gratias egere maximas ob mihi demandatam curam humilicordem concordie ineunda, quam sibi, ac toti Ecclesiæ profuturam, ominabamur. Id totum Rex gratissimum habuit, maximamque dedit perceptæ voluptatis significationem. Plaudere debam & ipse mihi, larabarque vehementius, tum ob præstitum Deo obsequium, tum ob refartam fidelium offensionem, quam ex tam diuturno dissidio patebantur: cum ecce, contra omnium expectationem, id demum accidit, quod Reverendissima Paternitas Vestra ex Provincialis relatione satis intelligit. Scribo ad Sanctitatem Suam, & D. Cardinalem Burghesum, rei totius historiam exhibens, iisdemque significans, quam ardens Regi inquit desiderium, ut Sanctitas Sua Auxiliorum controversiam ultimo definiat. Idcirco committo Reverendissima Paternitati Vestre, atque etiam rogo, ut hoc idem, ad ipsius pedes provolutus, enixe postulet: quippe id unum est, quo malis omnibus, in dies emergentibus, occurrere possit. Mirro hic adjuncta transmittam Epistolarum, quas Summo Pontifici, & Cardinali Burghesio scribo, ut iis omnino congruarum supplicationum vestra. Suspiciat sumus, Pontificem fortassis altissimum, Regias Epistolas, ad ipsum super datas, quibus pro declaratione supplicabat, privatorum rogatu scriptas esse: verum ita profecto non est, aut unquam fuit; sed una illum ad id scribendum Religionis, & tranquillitatis publicæ cura sollicitavit. Ita ergo causam urgeat, & Pontificem alloquatur Paternitas Vestra, ut serio intelligat, hanc præsentem supplicationem (tametsi cum altera præcedenti eadem censetur) nova tamen necessitate fieri, ob novitates, a Patribus Societatis intentatas, nec ultra jam Prædicatorum, tot injuriis læssitos, contineri posse, ne ad sui defensionem pacem erumpant. Quapropter tum ob id, tum ob alia longe plurima, quæ longo usu didicit Paternitas Vestra, significabit Sanctitati Sæ, nusquam futuram in Hispaniis concordiam, ac pacem, donec definitionem promulgarit. Deus Reverendissimam Paternitatem Vestram inclinem servet, uti desidero. Datum Martii die 2. Junii 1612. Ego DUX, et MARCHIO DESLE.

In eundem sensum scripsit Hispania Præpositus Provincialis, dum antea eorum narrationem, necnon Theses, a Patribus Societatis contra pactum fidem defendatas, Romam transmisit.

REVERENDISSIME PATER.

(1), Teneor ex officii debito, Reverendissimæ Paternitati Vestre significare, quam justa nobis, totique Ordini accesserit de Patribus Societatis conquerendi ratio, ob Theses, ab ipsis Vallisoleti propugnatas, quarum hic prolixiorum narrationem transmittito. Addo transmittam Litterarum patentium, quas per universam Provinciam promulgaveram die 26. Aprilis: ut hinc facilius intelligat, hanc nobis ab eis datam querendi rationem, quo maxime tempore stabamus inita pacis conditionibus. D. Dux de Lerma ea de causa plurimum offensus, tum ob injuriam, Ordini nostro illatam, quem impense diligit, tum ob irrogatam Excellentie sue contumeliam; ipse enim pacis auctor fuerat. Ea de re scribit ad Summum Pontificem, ad Cardinalem Burghesum, & ad Regium Oratorem. Id ego vos moneo, ut Reverendissima

(1) Ex Hispano Latine redditur.

Paternitas Vestra curet, Sanctitatem suam ab Oratore diligenter admoneri; quo tandem intelligat, hæc una iudicii procrastinatione gravissima in dies mala furoriri. In id porro vehementer instandum est; sic enim Regi placet, & Duci de Lerma, atque ad publicam pacem plurimum interest. Adnitantur etiam, quotquot Romæ degunt, Patres Magistrum, Comitum occasione. Prosperum electionis exitum in prætermissis singulis diebus Deo commendamus in hacce Provincia nostra. Quia vero, quo tempore Romam pervenier hæc Epistola, iam peracta erit, idcirco præcoccem, meo, totiusque Provincie nomine, spondeo obedientiam. Doleo ex animo, quod præfens Romæ non sim, ut primus omnium gratuler. Paternitatis Vestre pedibus subjicio gratiam, nuper a Rege concessam, qua me Serenissimo Principi, Domino meo, a Confessionibus dedit. Benedictionem ad id muneris obeundum supplex rogo; dum interim Deum optimum gratiam mihi concessurum, confido; qua tanti ponderis onus sustinere valeam. Obedientissimum obsequium Reverendissimæ Paternitati Vestre iussu, quam Deus ad Ordinis profectum multos annos servet incolumem. Datum Martii die 1. Junii 1612. Reverendissimæ Paternitatis Vestre filius, JOSEPH GONZALES, Prior Provincialis.

CAPUT XXX.

Stant conditionibus Prædicatorum: Judicii Pontificii promulgationem urgent: obstant Jesuitæ contra promissorum fidem.

Non iis egebat Prædicatorum hortatoriis Epistolis, ut ad promovendam Auxiliorum definitionem excitarentur; a quo, ne iusti quidem, ut opinor, abstinent. Statim atque, adventante Antonio Soto-Major, de pacis conditionibus nuntiatum fuit, in hanc promissi, & alacres inebueret, quotquot Romæ Comitibus aderant. Piz Regis Catholici sollicitudini, qui hoc idem prioribus Epistolis deponserat, obsecundant: collatis cum ejus Oratore communibus studiis, libellum supplicem, post habitam Generalis electionem, dederunt Paulo V. Pontifici Maximo, die 12. Junii, publico totius Ordinis nomine; cui subscribere, quotquot suffragii jus habuerant. Sic vero precabantur.

BEATISSIME PATER.

Capitulum Generale Ordinis Prædicatorum, nomine totius Religionis, exponit humillime Sanctitati Vestre, perneccesarium esse, ut Vestra Beatitudo causam de efficacia Divinæ Gratiæ, & humana libertate determinet; cum multa, illaque gravissima, ex suspensione hujus determinationis imminant pericula.

Primum quia, ut apud utramque partem est, in confesso, alterutra hujus controversiæ sententia non solum est hæretica, sed fere omnium hæresum fundamentum, quæ circa materiam de gratia, & justificatione hucusque existerunt; quæ tamen non firmiter fixa, omnia fere alla fidei nostræ dogmata nutant. Qua ratione femper Ecclesiæ summa cum diligentia quam cunctissime omnem exortam controversiam circa hujusmodi materiam definitur.

Eo autem hoc periculum magis imminet, quod defensores hujus, vel illius sententiæ totis viribus opinionem suam per totum orbem di-

vulgare, & docere, conentur; ita ut illa sententia ex illis duabus, quæ erronea sit, sic erit propalata, & in cordibus alte defixa, ut si remedium opportunum differatur, vix postea ali- quod tanto malo inveniri queat.

Accedit, quod Sedes Apostolica tanto studio hoc negotium inchoaverit, & accuratissime examini fecerit, ut, si definitivam sententiam non proferat, existiment Catholici, rem hanc nullius esse momenti, & utrique suam sententiam, tanquam probabilem, concessam esse, & sic sine metu, cum maximo fidei Catholicæ detrimto, huic, vel illi adhæreant. Hæretici autem garrere solent, insultando, quod Ecclesia nesciat, huic Controversiæ finem imponere, & quid tenendum sit, firmiter stabilire.

Accedit insuper, quod adversa pars plures de hac materia libros multiplicavit, & tractatus. Et in novissime excusis a Patre Leonardo Lessio, & a P. Martino Becano, aperte asseritur, quod, si a principio exortæ Controversiæ ita suam sententiam explicasset, nulla super hac re ad illam damnandam habita fuisset Congregatio.

Cum ergo adeo urgeant prædicta, & alias utraque pars sit valde Catholica, & huic Sanctæ Sedi obedientissima, & non sit timendum, quod fidei definitioni non acquiescat, vel quod aliqua oriatori perturbatio, sed potius summa pax, & summa tranquillitas; instantissime ad pedes Sanctitatis Vestræ provoluti oramus, petimus, & supplicamus, ut definitionem, a tota Ecclesia expectatam, atque desideratam, promulgare dignetur.

Insuper obnixè oramus, ut nobis libera concedatur facultas typis mandandi libros, & tractatus nostros circa hanc questionem, præsertim commentando sanctæ Ecclesiæ Doctorem, D. Thomam. Eo vel maxime, quod hæc materia ita est per singulas ejus questiones, & articulos dispersa, ut vix aliquid aliud super S. Thomam edere possimus; quod tamen in maximum sanæ doctrinæ detrimentum vergere videtur.

F. Seraphinus Siccus, Magister Ordinis.
 F. Petrus de Amore, Provincialis Franciæ.
 F. Constantinus Gandinus de Brixia, Provincialis utriusque Lombardiæ.
 F. Dominicus Landio, Provincialis Romanus.
 F. Seraphinus de Nucera, Provincialis Regni.
 F. Servatius Lungling, Provincialis Germaniæ superioris.
 F. Joannes Chrysofomus, Provincialis Poloniæ.
 F. Joannes Santato, Provincialis Græciæ.
 F. Angelus Brixio, Provincialis Terræ-Sanctæ.
 F. Raphael Riphoz, Provincialis Arragoniæ.
 F. Vincentius ab Antverpia, Provincialis Bohemiæ.
 F. Petrus Paulus Passaronus, Provincialis Provinciæ.
 F. Vincentius Candidus, Provincialis Siciliæ.
 F. Michael Oshovius, Provincialis Germaniæ inferioris.
 F. Baptista Baccarino, Provincialis Apuliæ.
 F. Paulus de Callio, Provincialis utriusque Calabriæ.

F. Vincentius le Clerc, Provincialis Occidentaliæ.
 F. Angelus Andronicus, Provincialis Venetiarum.
 F. Theophilus Lupatinus, Provincialis Apulianus.
 F. Antonius de Soto Major, Diffinitor Hispaniæ.
 F. Paschasius des Jardins, Diffinitor Franciæ.
 F. Hieronymus Soncinate, Diffinitor utriusque Lombardiæ.
 F. Nicolaus Sermartellio, Diffinitor Romanus.
 F. Andreas de Caserta, Diffinitor Regni.
 F. Michael Cremerius, Diffinitor Theutiæ.
 F. Lucas Ugolinus de Brixia, Diffinitor Græciæ.
 F. Raphael Cortá, Diffinitor Provinciæ.
 F. Victorius de Zara, Diffinitor Dalmatiæ.
 F. Hieronymus Sangeorgio, Diffinitor Siciliæ.
 F. Sebastianus de Pavia, Diffinitor Portugalliæ.
 F. Petrus Delgado, Diffinitor Bethicæ.
 F. Thomas Caplotinus, Diffinitor Provinciæ Germaniæ inferioris.
 F. Bartholomæus de Gallipoli, Diffinitor Apulii.
 F. Vincentius a Saracena, Diffinitor utriusque Calabriæ.
 F. Petrus Bruno, Diffinitor Occitanus.
 F. Livius Leonus, Diffinitor Venetus.
 F. Joannes Ambrosius ab Alexandria, Diffinitor sancti Petri Martyris.
 F. Joannes Dominicus Montagnolius, Diffinitor Abrutinus.

Varias Theologorum lucubrationes addidere, quibus Pontifici Maximo, & Eminentissimis Cardinalibus, finiendæ controversiæ, seu verius, promulgandi iudicii necessitatem demonstrabant. Has inter absolutissima visa est, quam jam pridem anno 1608. ediderat Hieronymus Baptista de la Nuza, Opus prælo dignum, Religionis zelum undique spirans, sed paulo prolixius, quam ut hic referri possit ex integro: at legi in Appendice poterit. (1) Exitat inter Adversaria Lemosi, sub hoc titulo: (2) *Libellus Memorialis, a P. M. F. Hieronymo Baptista de la Nuza, Exprovinciali Provinciæ Arragoniæ, Ordinis Predicatorum, editus; jubente Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Hieronymo Xaviere, Generali Ordinis Predicatorum, & S. R. E. Cardinali, Philippo III. Hispaniarum Regi a Confessionibus; Paulo V. Summo Pontifici datus: in quo finiendæ, ultimoque iudicio dividendæ de Divinis Auxiliis Controversiæ rationes, ac momenta proferuntur.*

Definitionis necessitatem probabat in primis Hieronymus de la Nuza rationibus, ad commune totius Ecclesiæ bonum spectantibus. Prima erat, quod questionibus de Divinæ Gratiæ efficacia totius ster fidei fundamentum.

Secunda, quod questiones illæ in omnes pene Theologiæ partes diffuse essent: quam ideo undecunque nutare, necessum erat; nisi certum de illis Canonem Ecclesiæ præfigeret.

Tertia, quod alias vix scire liceat, quid quotidianis precibus peteret, quid distinde rogare debeamus, si nec propriarum vicium infirmitatem, nec Dei virtutem agnoscerimus.

Quarta

(1) Numero VII. (2) Memorial, que el P. Maestro Fray Geronymo Baptista de la Nuza, Provincial, que fue de la Provincia de Aragon de la Orden de Predicadores, hizo por orden expreso del Illy Rev. Señor Fray Geronymo Xaviere, General de la Orden de Predicadores, y Cardinal de la S. Iglesia Romana, y Confessor de Philippe III. Rey de España; para dar al Summo Pontifice Paulo V. En el qual se escriven los motivos y razones, por las quales Su Santidad deve servirse definir, y concluir la causa de los Auxilios Divinos.

Quarta, quod alias nec satis humiliter, nec satis digne gratiarum actiones referri possint, si vel neficimus, quid accipimus, vel in nobis, quasi non acceperimus, gloriamur.

Quinta, quod iusta timoris, & fiduciæ mensura a fidelibus servari nequeat, nisi certo sciant, quid ipsi per sese possint, quidve in eis operetur Deus.

Sexta, quod servanda fidei unitas id exigeret; cum, communi partium dissidentium professione, toties in Congregationibus expressa, notum esset, questiones de intrinseca gratiæ efficacia ad ipsam fidei summam pertinere.

Septima, quod omnes pene studio partium adducerentur, tantumque paulatim utraque sententia diffunderetur, ut vix ea eradicari tandem possit, quæ in errore est.

Eiudem definitionis necessitatem probabat deinde rationibus, petitis ex conditione partium dissidentium.

Prima erat, quod doctrinam suam novam fassus sit Molina ipse, ac prioribus Patribus ignotam, qui contra Pelagianos dimicantur.

Secunda, quod hujus doctrinæ Sectatores versatilem, & translativum vultum gererent, ut se omnibus commodarent: atque idcirco sua dogmata, uti recens inducta, iis venditarent, quos novitate capi, cernerent; eademque, ut ex Patrum traditione derivata, ab aliis haberi, vellent, quos antiquitatis studio duci, vident.

Tertia, quod causam fidei adjudicatam vulgassent ubique gentium, tam solemnibus, ac publicis gaudiis significationibus, ut illico plebs omnis decepta esset.

Quarta, quod eorum aliqui faterentur, Pelagium ultra ad Augustini partes venturum fuisse; si eisdem, ac illi, humanæ libertati vires sanctus Doctor dedisset.

Tum demum id evincebat ex Romani Pontificis officio, de quo non abimili casu scribebat Bernardus Epistola 139. *Tempus est, ut cognoscatis, Pater amantissime, Principatum, probetis zelum, ministerium honoratis. In eo plane Petri impletis vicem, cujus tenetis & Sedem; si vestra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis; si vestra auctoritate conversis fidei corruptores.*

Iis Lanuzæ momentis addebat Thomas de Lemos alia gravissima, quæ olim Illustrissimus Armachanus attigerat, dum de resumenda, ac finiendâ controversiâ scriberet, post obitum Clementis VIII; de quibus & nos supra diximus. (1)

Interea, dum in hanc curam totis viribus incumberent Prædicatores, nec modo Theologicis lucubrationibus, sed & omni solertia adniterentur; stabant in excubiis Jesuitæ, paetorum immemores; qui hoc idem, conjunctis, ut ajunt, copiis urgere debeissent, nisi causæ propriæ dissidentia, & secrete conscientiæ censura retraxissent. Boni profecto litigatores, qui adjudicatam sibi litem, in Hispaniis garriebant; dum interim Romæ vulgari sententiam, detrectarent! Quid enim, si veritatem a se stare, putant, ac pro Molina pronuntiatum, existimant, iudicii promulgationem reformidant? Est enim Christi Domini vera sententia: Omnis, qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur operæ ejus; qui autem facit veritatem, venit ad lucem, &c.

Sed nec promissorum duntaxat immemores ab urgenda causâ definitione absteinebant; at, ne Prædicatores rogatu in publicum prodiret, obnitebantur. Scripta vulgarant incerti auctorum nominibus, ut evincerent, ab omnibus prorsus defini-

tionem Apostolica superfedendum. Respondit Thomas de Lemos compendiose ad singula capita; dedidit responsum Paulo V. die 12. Julii.

Prima adversantium ratio erat, Molina Defensores adeo invaluisse, ut prorsus difficile foret, quidquam in oppositum definire, aut certe executioni demandare.

Respondet Lemos: *Tantum abesse, ut errores agniti, probati, ac præjudicati, ut tales in multiplici examine juridico, permitti debeant, eo quod potentes sint Defensores eorum in seculo: quin potius ob illud ipsum Apostolica definitionis declaratione, ac promulgatione obstandum est. Certe diffusior, ac potentior erat Arianismus (ut de infinitis aliis heresibus sileam) dum in eum sententia lata est; nec tamen pretextus ille sententiæ declarationi obsit. Ob id ipsum Clemens VIII. paulatim nitentur eis auctoritatem adimere: ut in causa confessionis per litteras, & venerationis prætorum Beatorum Societatis suæ; contra priorem præsentionem Decretum edendo; & contra secundam, insituendo Congregationem; quamvis, ipsius morte interveniente, effectum sortita non sit.*

Alter ratio erat, quod Jesuitis in omnibus pene mundi partibus commissa esset juvenutis institutio: quæ res non parum Clementem VIII. a ferendo iudicio retardaverat; quemadmodum ipsemet interdum clarissimo Pegnæ significaverat, dum, Regis Catholici nominæ, pro definitione supplicaret.

Respondet Lemos: *Cum ea de causa majus periculum emergat, huic quanto citius occurrendum est remedio. Immo potius est, juvenutem ignaram habere, quam hereticam. Huic rationi responderunt Clemens VIII. & Paulus V. Domino Pegnæ, id sane verum esse; sed necessarium fore de modo cogitare, significando, se de substantia non dubitare.*

Tertia ratio erat, nonnullas Universitates in partes Societatis propendere; atque idcirco non ita temere pronuntiatum.

Respondet Lemos: *Ut huic difficultati saceret satis Dominus Pegnæ, expendit omnes Consensus Universitatum Catholicarum, ostenditque, pro Molina opinione duntaxat adduci Universitatem Complutensem; quia Lovaniensis, Duacensis, Salmanticensis, & alia directe contra ipsos sentiunt. Ac etiam nunc librum ipsum, Paulo Pape V. exhibitum, habet Dominus Pegnæ, cum notis, & summario, propria manu scriptis, prout Sanctitati suæ data fuerunt.*

Quarta ratio erat, Doctores multos cum Molina sentire.

Respondit Lemos: *Ex antiquis duntaxat exstant Cassianus, & Faustus, qui a sacris Canonibus notati sunt, ut Semipelagiani. Ex recentioribus vero qui sententiam dicere iussi sunt, unus, aut alter duntaxat ex Ordine S. Augustini; quia ceteri Molinam damnant. Ad id vero specialiter ostendendum, ostendit huic Pontifici Dominus Pegnæ totum alterum Consensuum Doctorem privatorum, qui sententiam dicere iussi fuerant, quibus hæc veritas demonstratur. Siquidem ille idem totus nunc integer exstat, cum notis, propria manu D. Pegnæ scriptis, pro instructione suæ Sanctitatis.*

Quinta ratio erat, Definitionem periculofam Ecclesiæ fore, in ea tot hætasum ingruentium tempestate.

Respondet Lemos: *Ratio illa oppositum evincit; quia ob id ipsum permittit Deus, ut tot hereses creescent, quia ista non tollitur, que evacuat, & evacuat passionem, & meritum Jesu Christi Domini nostri, ejusque gratiæ efficacis. Siquidem opinio Molinae directe tribuit libero arbitrio, quod proprium est gratiæ Jesu Christi.*

Cum-

(1) Lib. IV. cap. 6, & in Append. Numero XVII.

Cumque in id potissimum insisterent Molina Vindices, ut ideoque a promulganda definitione esset abstinendum, quod instituta de gratia per se efficaci controversia nihil ad fidem attineret, & inter quaestiones, opinionem liberam, reputanda esset, satisfecit speciali tractatu idem Lemos, quem die 22. Julii Pontifici dedit. Stupendum, inquit, quod id etiamnum obruderent; quasi vero oblitterari illa possent, quae in diligentissima decem annorum tractatione sancita fuerunt; ubi usque adeo quaestiones illae fidei summam spectare censentur, ut Molina, illiusque Defensores non falsitatis tantum, sed & haereseos Pelagianae continuo damnarentur. Stupendum magis, subijungebat, quod id tandem afferent, qui toties in solennibus Congregationibus de fidei summa disputati, contestabantur. In quos propterea illud Augustini de Caelo merito cadere: *Perspicitis, id cum egisset, hae prelocutione praemissa, ut, si quid in illo apparuisset erroris, non in fide, sed in quaestionibus, quae sunt praeter fidem, videretur errasse: ubi, vesi castigandus est error, non tamen, tanquam haereseis, corrigatur; & qui correptus fuit, ita dicatur errasse, ut non tamen haereticus iudicetur. Sed multum cum ista fallit opinio.*

Attamen (qua forte factum, dixerint Superi) nihil palam hac occasione Praedicatorum obtinuerunt, nisi ut omnes intelligerent, magna eos causa fiducia, & adjudicatae sibi litis securitate ducti, qui iudicii promulgationem adeo servide promovebant; ceteros e contra, sibi male confectos, secreta conscientiae censura morderi, qui iudicium ita resugerent, omnique arte, sollicitudine, industria declinarent.

CAPITULUM XXXI.

Claudius Aquaviva, Societatis Praepositus, insensum recum exitum, novamque tempestatem metuens, Molina laxitates solenni Decreto damnat; servato tamen doctrinae capite.

Tametsi ardent illa Pontifici iudicii postulatione nihil ex forma juris Praedicatorum obtinuerint; suos tamen adversarios, timore perculsos, ad extrema deduxere. Claudius Aquaviva, vir cautus, ac prudens, nec obesa omnino maris, nova illa velitatione perterritus, militum industriam imitatus est, qui fracti semel, fugati-que, secundae pugnae exitum reformidant; hostibusque pristinas stationes iniquiores sponte deserunt, ut alias minus incommoatas quoquo pacto tueri possint. Auxit viri prudentis metum, ac diffidentiam nova Lovaniensis Academiae oppugnatione, quae Censuras suas adversus Lessium, & Hamelium denuo confirmavit die 2. Augusti 1613.

(1) Quare novam tempestatem excitari, sentiens, ac de insauso eventu sibi metuens, qui e priore non ita sanus evaserat, vela remisit; laxioremque Molinae sententiam praedamnavit, sua, tunc Societatis forte contentus, si Suarezii systema, verborum saltem honestate tolerabilis, contra subortos turbines tuerentur. Hoc enim Decretum de consilio Assistentium edidit, in universas Provincias transmittendum, uti certum tenenda, ac docenda doctrinae canonem.

(2) Cum vel ad eam, quae in Constitutionibus tantopere commendatur, animorum conjunctionem, & uniformitatem, soliditatemque doctrinae, vel ad bonam Societatis apud externos existimationem plurimum referat, in rebus praesertim gravioribus, Nostris, quantum fieri pos-

terit, occasionem praescindere novas subinde opinioniones excogitandi; re diu, multumque cum Patribus Assistentibus considerata, ac Domino diligentissime commendata, visum est Nobis, serio statuendum; graviterque mandandum, quod praesentibus pro officii nostri auctoritate, & obligatione statutimus, & mandamus, ut, in tradenda Divinae Gratiae efficacia, Nostris eam opinionem sequantur, sive in libris, sive in lectionibus, sive in publicis disputationibus, quae a plerisque Societatis nostrae Scriptoribus tradita, atque in controversia de Auxiliis Divinae Gratiae, coram Summis Pontificibus pia memoriae Clementis VIII. & S. D. N. Paulo V. tanquam magis consentanea Ss. Augustino, & Thomae, gravissimorum Patrum iudicio explicata, & defensa est. Nostris in posterum omnino doceant, inter eam gratiam, quae effectum de ipsa habet, atque efficaciam dicitur, & eam, quam sufficientem nominant, non tantum discrimen esse in actu secundo, quia ex usu liberi arbitrii, etiam cooperantem gratiam habentis, effectum sortiat; altera non item: sed in ipso actu primo; quod, postea sententia conditionalium, ex efficaci Dei proposito, atque intentione efficiendi certissime in nobis boni, de industria ipse ea media seligit, atque eo modo, & tempore confert, quo videt, effectum infallibiliter habitura; aliis usurus, si hac inefficacia praevideret. Quare semper moraliter, & in ratione beneficii, plus aliquid in efficaci, quam in sufficienti gratia, & in actu primo contineri; atque hac ratione efficere Deum, ut ipsa faciamus, non tantum quia dat gratiam, qua facere possimus. Quod idem dicendum est de perfectioribus, quae proculdubio donum Dei est.

Vix credas, quantum Decretum istud Societatem, ejusque familiares offenderit. Nonnullis indignum videbatur, Molinae doctrinam ab illis demum deseri, qui adeo in ea tuenda desudassent: immo & ab illo ipso Praeposito Generali e domesticis scholis eliminari, qui Societatem universam in ejus defensionem armaverat. Alii non satis intelligebant, (3) quo pacto gratia in actu primo foret efficax, uti Decreto sancitur, quin simul physice praedeterminaret; quare ratione propositum Dei efficacius, & intentio boni in nobis certissime efficiendi, absque decreto, ex se, & intrinsecus efficaci, stare possent. Idcirco, agnito Aquavivae consilio; antequam meditatae Decretum vulgaretur, intercessere bene multi.

Distulit aliquantulum Societatis Praepositus, ne quid inconsulto, & intempestive gereret. Consultavit per Epistolam Antonium Bovium, tunc temporis Episcopum Melphitensem, de Decreto emittendo sententiam rogaturus. Non abiit ille, effeta licet aetate, novis sese Scholarum litigiis immiscere; ut hoc ultimum Molinianae doctrinae, quam a puero in Societate quondam eberat, tributum extolleret. Respondit die 21. Novembris, non aridere sibi verba haec: *Ex efficaci Dei proposito, atque intentione certissimo operandi in nobis boni*: quibus ipsi praedestinationes efficaces adstrui videbantur. Servatur Rescriptum Romae in tabulario Domus Professae, unde illud Possinus exiit. (4) Stetit nihilominus propositi tenax Claudius Aquaviva; nihilque Decreto suo immutari voluit; ita decernente Cardinali Bellarmino, qui ei ad edendum illud, perque totam Societatem promulgandum auctor fuerat. Postulabat enim injuria temporum, ut obscura verba usurparet, unde gratiam per se efficacem decrevisse, videri posset.

De-

Decretum ergo, absque ulla omnino litura, in universas Societatis Provincias misit die 24. Decembris 1613. adjunctis efficacissimis Epistolis, quibus tenendam D. Thomae doctrinam, imperabat, ceterosque studiorum canones praescribebat, ne ab illa pro arbitrio discederent. Has, Latino primum idiomate scriptas, suspicari licet: nusquam tamen exstant, nisi Gallico, vel Italico; cogimurque, fontem ex rivulis petere.

ADMODUM REVERENDE PATER.

(1) Ob rationes, vobis olim die 18. Julii 1611. significatas, necessarium existimavimus, modos omnes, ac vias investigare, quibus doctrina firmata, atque concordia in Scholis nostris statui possent. Quae duo a B. Patre nostro, quarta Constitutionum parte, praecipuntur, tanquam Societati admodum opportuna, ut digna Ecclesiae Dei praestet obsequia. Idcirco Universis Europae Provincialibus injunctum fuerat, ut habito praecipuorum Theologorum consilio, mutuo secum conferrent, quid factum esset opus, suaeque ad nos judicia transmitterent. Nunc demum, acceptis Provinciarum omnium opinioibus, magna animi voluptate comprobavimus, omnes in diem profus conspire, idemque sentire. Ac licet in nonnullis rationibus proponendis non una omnium sententia sit; in multis tamen multae Provinciae congruunt, in aliquibus plane omnes. Verum e propositis remediis sunt alia lenta nimis, alia plus iusto difficilia, nonnulla strepitu magno minus proficerent, quadam subsapera, & Societati insolita iudicantur, ut si Professores, Censoresque, stricto obedientiae praecipio, aut etiam juramento, ad hoc, vel illud tenendum, fugiendamve, astringerentur.

Demum, post Divinam operam sacrificiis, & orationibus efflagitatum, habitoque Patrum Assistentium maturo consilio, in hanc sententiam descendimus, praefatis malis omnibus remedium allatum iri, si quae olim in studiorum Libro sancita sunt, religiosissime teneantur. Quapropter Provincialibus districte praecipimus, ut suas de studiis Regulas, per se satis apertas, & copiosas, accuratissime servent: uti & eas, quae de ipsorum officii capite 6. notatae sunt. Suas quoque Rectores diligentissime teneant. Illud idem studiorum Praefectis, omnibusque superiorum scientiarum, ac maxime Theologiae Scholasticis Professoribus injungitur. Si enim hac religiose praestiterint, omnia pro votis prospere succedent.

Quod enim doctrinae firmitatem attinet; stabimus in tuto, si Divi Thomae doctrinam tenuerimus, ut Generalis Congregationis Decreto sancitum est. Summa quoque doctrinae consensio penes nos erit, dum eundem sequemur Auctorem: Quae sane duo Generalis Congregatio sibi praestituerat, dum de edendo Decreto deliberavit. Nec moveri, si qui forte dixerint, necirri interdum, quae mens D. Thomae fuerit; id quippe Decretum ipsum occupavit. Si enim perspicuum sit, opinionem aliquam D. Thomae repugnare, nihil ultra morari juvat, certane sit; cum illam amplecti nobis non liceat. Si autem mentem ejus graviores, & antiqui Thomistae varie exponant; probabiliorum partem cum istem amplecti, fas erit, citra violatae Angelicae doctrinae periculum. Cavendum tamen est, & quidem serio, ne qui sponte in aliquam sententiam propendunt, sparsas

hinc inde S. Thomae voculas aliquas emendent, suumque in sensum oblique detorqueant; ut illum a suis partibus stare jactent; sed e jus potius sententiam, ac mentem iis ex locis venari studeant, ubi argumentum illud tractavit ex instituto; non ubi cursim, aut occasione tantum obiter attingit.

Hoc igitur constituto, nihil interest, catalogum texere opinionum probabilium, aut non probabilium, tenendarum, aut non tenendarum; quia uno doctrinae duce semel posito, brevi compendio confecta res est. Nec ob id tamen aufertur ingeniorum libertas, sed intra debitos modos continetur; ut D. Thomae doctrinam firmare, illustrare, ac promovere valeant: factisque conceditur excurrendi campus, tametsi Doctores Angelici mancipentur: eo sane modo, (quoniam per omnia non ster comparatio) quot Ecclesiae Doctores tam varios, tamque amplos in Scripturam sacram Commentarios adornant; licet nec latum unquam ab illius sensu aberrarint.

Dubitarunt nihilominus aliqui, num doctrinae concordiae repugnet opinioinum varietas, quae in auctoribus nostris deprehenditur; arbitrari sane, licitum sibi fore, quemlibet pro arbitrio sequi, eo saltem nomine, quod cum Superiorum licentia, atque approbatione prodierit. Verum jam abunde a nobis significatum est, nullam ob id Professoribus, Scriptoribusque libertatem accedere, qui a Divo Thoma discedere vellent. Quia, si quae opiniones jam haecenus in lucem prodierunt, quae a viris doctis, uti maxime probabiles, iudicantur, ab erroris quidem, novitatis, ac temeritatis suspitione liberantur: non ob id tamen a nobis defendi possunt, si D. Thomae contrariae reputentur. De dubiis vero jam satis dictum.

Congruum igitur erit, ut quotannis in publica Scholarum instauratione nostra haec Epistola de doctrinae firmitate, atque concordia congregatis Magistris legatur; Superioresque Seminariorum, ubi Philosophiae, ac Theologiae studia vident, hortatoriam simul Orationem habeant, in qua statutum de tenenda D. Thomae doctrina serio moneant, aliorumque mandatorum nostrorum, quae Libro de ratione studiorum continentur, observantiam injungant, ut religiose serventur.

Provinciales omni cura, & sollicitudine sanctam legem observent, qua cautum est, ne ad docendam Philosophiam, aut Theologiam minus promoveantur, nisi qui D. Thomae doctrinae sunt affecti, & a novandi studio alieni. Si quos vero non ita affectos deprehenderit, qui probabilitatis obtentu ab iis legibus desisterent; illos libere amoveant, & ad alia Societatis officia deputent. Qui autem contrarias Angelico Doctore opiniones traderent, aut in rebus Philosophicis ad novitates declinarent, seu ex propti ingenii levitate, seu Scriptoris cuiusdam inferioris nota auctoritate illecti; ad hujusmodi opinionum retractationem quantocitius adigantur: nec ad Scholastici studii, vel anni finem protrahatur retractatio; cum nedum res dilatione inveterascere, & augeri soleant, sed & eas novitates discipuli tenacius eberant, dum nullam toto anni decursu emendationem experiantur. Nec audienda Praefectorum excusatio, si forte ignorantiam obtulerint; cum eo ipso maxime officio suo desint: ea quippe nosse tenentur, & rationes illis suppetunt, quibus in illorum notitiam venire possint. I. Si scholas,

ut

(1) Vide hic lib. 1. cap. 10. (2) Apud Jesum Clementem, Tanerum, Henao, Paul. Leonardum. (3) Ita refert Henao in Scientia-Media Theologicae defensoria, scilicet. 157. (4) Possinus lib. 6. cont. citatus ab Henao scilicet. 157.

(1) Ex Italico Latine redditur.

ut officium postulat, sæpius adeant ad Professorum lectiones audiendas. 2. Si lectionum repetitionibus, circulis, disputationibus, tum publicis, tum domesticis intersint: si discipulos de acceptis in schola tractatibus interrogent: si demum Professorum scripta lectiteat. Hæc ubi præstiterint, aberrationes omnes proculdubio compertas habebunt: Ac tunc quidem, imposita pœna, indictaque retractatione, variis tum publicis, tum privatis admonitionibus ita errantes ad officium reducant, ut noverint, non specie tenuis, ac perscrutatorie ista fieri, sed serio plane; universamque Societatem, ac Superiores in id præsertim intendere, tanquam quod ad Religionis nostræ institutum, ad Ecclesiæ profectum, ad obsequium Dei conducatur, longe magis, quam credi possit, aut æstimari. Quare severiores potius, quam mitiores esse debent studiorum Præfeci. Si autem de nonnullis opinionibus suboritur dubitatio, aut eas forte nimia pertinacia nonnulli tueri vellent; tum Præfeci, aut Rector (ut res majori auctoritate, ac prudentia componantur) plurium consultationem, aliorumque Doctorum nostrorum studium adhibeat, ac mox pertinaces illos quiescere, cæterorumque iudicio stare, jubeat: cum eo duntaxat sine dogmatibus, ut dignum Deo præstent obsequium, qui nihil, sibi contra leges obedientiæ oblatum, acceptam habet.

Cavendum, ne Professorum alter alterum mordeat, & impugnet: sed si eundem auctorem secuti, in quibusdam levioribus diversa sentiant (quod non nisi raro accidere debet) mutua seculum modestia, ac debita veneratione se gerant.

Provinciales, Vistitationem obeuntes, in id diligenter inquirent, præsertimque remedia ferant, eos a publicis lectionibus amovendo, qui stare nollent Decretis Congregationis Generalis, immo & Beatissimi Patris nostri, qui institutum doctrinæ firmitate, ac confessione factum, adeo diligenter inuaxit. Curet, ut Philosophiæ opiniones Theologiæ serviant, Aristotelemque sequi jubeat, ubi a doctrina divinitus tradita non aberrat.

In iis, quæ D. Thomæ ex instituto non attigit, nec certo sciri potest, quid reipsa sentiat, caveat in primis, quid ex eius principiis sponte fluat, alisque ipsius doctrinæ capitibus optime cohereat. Si enim vel ejus principiis repugnet, aut cum aliis ejusdem dogmatibus minus congruat, docendum non est. Secundo, si nec id quidem detegi potest, nova ex arbitrio indicere non licet, nullis præventibus Scriptoribus gravibus, ac probatis: non enim expedit in semita minus trita propriis duci sensibus; unde & aberrare, & in præceptis ruere solitum est.

Studiorum Præfeci seligantur, qui in D. Thomæ doctrinam bene affecti sint, quique simul, ut multis de causis expedit, Professoris munus non obeant.

Si quis post librorum emendationem, a Censoribus indictam, quidpiam sine licentia addiderit absque nova eorundem Censorum recognitione, pœnas luat, easque gravissimas: Illi enim in re gravissima Societatem decipiunt.

Attendant etiam diligenter, doctrinæ firmitatem multum imminui, ingeniaque confundi, pluraquam credi possit, ex ea libertate, quam sibi Magistri faciunt, quamlibet opinionem, uti probabilis, problematice tuendi. Quo fit, ut discipuli nesciant, ubi pedem figant: ideoque

studeant Professores, opiniones solidiores legere, ac defendere.

Quia autem in materia præsertim de Divina Gratia doctrinæ confessionem servari volumus; ideo Decretum edidimus, quod huic Epistolæ adjunctum suscipiet Paternitas Vestra, jubemurque omnibus Magistris, ac Theologis nostris significari, ut executioni accuratissime demandetur. Concludam Epistolam, petita sacrificiorum memoria. Datum Romæ die 14. Decembris 1613. Servus in Christo, CLAUDIUS AQUAVIVA.

Præpositi Generalis Edicto, quo Suaresii systema, eliminato Moliniano, in scholas inducebatur, obtemperantur Hispani Societatis Theologi, commodique publici rationes privatis affectibus præterunt. Quamquam enim proniori in Moliniano animo essent, & in ejus recens inducta paradoxa superte ingenio propenderent; Suaresium tamen, uti communem doctrinæ Magistrum, sequebantur: ita nempe injuria temporum postulante, ut si alteri animum, linguam saltem alteri devoverent. Res miraculi loco, prope est, quæ vix apud nos fidei inveniat, nisi testem oculatum haberemus Franciscum Macedo, qui hoc ipso anno 1613. & 1614. in ipso Societatis Instituto, Conimbricæ degens, totam illam scenam oculis vidit, testatamque reliquit, tom. I. Collat. 12. diff. I. sect. ult. Erat tum in viciis P. Franciscus Suares, (1) summus in omni sacra doctrina vir, recens a Cathedra primariæ Theologiæ illius clarissime Academiæ post annos viginti emeritus Professor; cujus sententiam omnes fere illi Magistri Societatis amplectebantur: nisi quod ad Fossicam, & Molinam, quorum recens erat memoria, magis inclinabant.

Cæterum, extincto Aquaviva die 31. Januarii anni 1615. recrudescit Molinistarum obmurmurationibus, Decreti sensum exposuit Marius Vittelescus, de consilio Septimæ Congregationis, ubi Præpositus Generalis factus est: Transmissorias Epistolæ dedit die 7. Junii 1616. quibus præconceptas Suorum de sancta gratia physice prædeterminante dubitationes amovebat.

Cum difficultas aliqua (scribebat Congregatio) inter viros doctos super Decreto R. P. N. pie memorie anni 1613. Decembris 14. de efficacia gratiæ nata esset, variis variis id interpretantibus; R. P. Præpositus Generalis, & qui tunc Assistentes erant, & Secretarius, qui Decreto illi præsertim interfuerant, & mentem R. P. Claudii probe perspectam habebant; itaque Patres ad id a Congregatione (nempe VII. Generali) deputati, consensus, non intendisse R. P. Claudium hoc suo Decreto decernere, Deum sua voluntate prædeterminasse, vel prædefiniisse aliquid opus nostrum bonum, independentem a cooperatione libere nostræ voluntatis: nec etiam, quod in gratiæ efficaci sit aliqua entitas realis, aut aliquis modus physicus in actu primo, qui non sit in gratiæ sufficienti; sed hoc tantum, quod fuerit speciale beneficium Dei, dedisse uni, v. g. Petro, ex proposito boni in eo faciendi, gratiam eo tempore, & loco, quo scientia conditionalium præfuit, illum ea gratia bene usurum: quod beneficium non contulit alteri, v. g. Joanni, cui dedit gratiam eo tempore, & loco, quo præfuit, illum, sua culpa, ea non usurum.

Ea porro interpretatione Aquavivæ Decretum innovat Vittelescus; tamen aperte significet, nullas illam gratias physice prædeterminantes ita tulisse, sed unum Suaresii systema, proscripto Moliniano, confirmasse. Et quidem quæ societas Scientiæ-Mediæ, Aquaviviano Decreto sanctæ, cum

cum gratiæ physice prædeterminantibus? Quid speciosa illa voces, propositi efficacia, intentionis certissima, ad gratiam seipsa efficacem adstruendam; si tota illa infallibilitas, ac certitudo ex Scientiæ-Mediæ directione petenda est? Certe, quantum non modicere ex Aquavivæ Decreto reportatum fructum existimem, ob Molinam a Suis proscriptam; non ideo tamen cum aliquibus Thomistis (1) canendum puto, Io triumphæ; quasi gratiam veri nominis efficacem statuisset. Immo vero Gabrieli Henao Societatis Theologo satis assentior, dum illos non valde doctos appellat, (2) qui gratiam physice prædeterminantem ex hujusmodi decreto colligi reputant. Quin etiam viro adeo ingenio grates refero maximas, ita de Suis judicanti: Cum enim viris, ita sententibus, primo loco annumeret Joannem Antonium Bovium, tenacem illum, & infractum Molinæ patronum in Congregationibus Auxiliorum; consequens profecto est, minus illum eruditum existisse, qui de hisce questionibus pronuntiaret.

Hoc idem fecit temporibus Decretum confirmavit Generalis Piccolominus, de consilio Nonæ Congregationis, anno 1651. celebratæ: quo tempore nonnullorum Episcoporum deputati Theologi, pro instaurantibus Auxiliorum Congregationibus supplicarunt. Ita quippe in statutis de ratione studiorum, ad universas Provincias directis, sanctum est: In materia de efficacia gratiæ servetur Decretum P. Claudii Aquavivæ, conditum 14. Decembris 1613.

Unum hic obiter notare juvat, Aquavivam minus in Summos Pontifices æquum fuisse; qui Suaresii systema a gravissimis Societatis suæ Patribus coram Clemente VIII., & Paulo V. propugnatum, ait, ut S. Augustino, ac D. Thomæ magis consonum; damnatum tamen, atque proscriptum dissimulat, ut suis forte liberius illuderet. Expositum quidem illud, ac propugnatum scimus, in mutuo partium congressu, apud Cardinalem Madrutium habito, anno 1599. die 17. Novembris; tum in quarta Congregatione, sub Paulo V. anno 1605. die 12. Octobris; ultimo tandem, & explicatis in decima Congregatione, die 14. Decembris, ubi ita Societatis causam urgebat Ferdinandus de Balda: Dum Sancti Patres affirmant, ex pluribus, eadem gratiæ preventis, unum converti, non alium; loquuntur de eadem gratiæ in genere entis: non enim negant, in eo, qui convertitur, speciale gratiam esse habere gratiam, qua prævisus est efficaciter convertendus; atque adeo eam gratiam, in regeneratis, æqualem illi, cum qua alter non convertitur, esse nihilominus majorem in genere gratiæ, & beneficii Dei. Est enim speciale Dei beneficium, dare homini gratiam, quando, & quia prævidit convertendum, si per eam præmovereatur. Immo in hoc consistit speciale beneficium prædestinationis: & propter hoc semper in Divinam voluntatem sit ultima discretio eorum, qui salvantur. Nam quomodo ad libertatem arbitrii nostri spectet, consentire, vel dissentire gratiæ huic; dare tamen homini eam gratiam, cum qua prævisus est convertendus, solus Dei est. At illud idem in iis Congregationibus damnatum non ignoramus; qui Diplomate, jussu Pauli V. a Consultoribus meditato, propositionem hanc erroris notatam legimus, numero 23. ultimæ columnæ, a Summo Pontifice recognita. Qui præventus a Deo, consentit, non accipit aliam potentioram gratiam prævenientem, quam si non consentiret: sed hac tantum consideratione majus donum, seu beneficium recipit: quia gratia illi datur in talibus circumstantiis, in quibus Deus prævidit, futurum, ut pro sua innata libertate consentiret.

cumstantiis, in quibus Deus prævidit, futurum, ut pro sua innata libertate consentiret.

C A P U T XXXII.

Jesuina, suscitatis de Conceptione Virginis invidiosis controversiis, plebem commoverent, ut extremos Prædicatorum conatus, novisque pro obtinenda iudicii promulgatione supplicationes elidant.

Fuit hæc ultima Jesuitarum industria, ut hostiles Prædicatorum copias diducerent, novisque conatus dissiparent, quibus Pontificii iudicii promulgationem insequerentur. Tadebat viros, famæ suæ retinentissimos, Reorum personam sustinere; nec se satis ad eludendos adversariorum impetus idoneos existimabant, nisi nova intentata lite, a priori omnino distita, æmulorum vires alio diverterent. Eo ducti animo invidiosas questiones, jam dudum conspuitas, queruntur; quæ plebem, ac præsertim Hispanos, in Prædicatores commoverent: quo, nova inducta rerum facie, Auxiliorum causa, quæ tanto hæctenus fragore insonuerat, vel comprimeretur omnino, vel certe tepesceret. Nulla instituto accommodatio controversia fuit, quam quæ de Conceptione Virginis Prædicatores cum Minoribus olim commiserat sub Sixti IV. Pontificatu. Noverant quippe superiorum rerum usum, quam facile tuenda, pia opinionis zelo nonnulli plus æquo abriperentur; quam ardentem ignara plebs, & consilii neficia, in Prædicatores, avitæ doctrinæ retinentiores, commoveretur, ubi de afferenda Conceptionis puritate disputabatur: hincque futurum existimabant, ut Prædicatores pristina bella non instaurarent, qui vix nova signa inferentibus resistere possent.

An is excitanda hujuscæ controversiæ zelus, & creanda ob id Prædicatoribus invidia studium ardeat, S. Ignatii iussis, & exemplo respondeant, nil dicam hic: dicant qui Joannem Petrum Masfeum legerint lib. 3. De vita S. Ignatii Cap. 9. Cum Martinus Olavio, inquit ille, qui Collegio Romano annos aliquot magna cum laude præfuit, excellenti vir ingenio, doctrinæque, Thebesi aliquot proposuisset, in quibus caput erat de Immaculato, quod appellant, Virginis conceptu, licet ex de re Ignatius pro sua egregia in Deum, & Virginis pietate, minime dubitaret: adde, licet in Universitate Parisiensi, juxta aliquorum sententiam, se illum semper propugnaturum jurasset; tamen ne Fratres Dominicani, qui ad disputationem invitabantur, egro ferrent, sequi nominatim provocari putarent (contrariam enim sententiam, Auctore dno Thoma, tuentur plerique) eam Thebesim, quamquam ingemiscens Olavio, expungi, tollique omnino, imperavit. Ita sane Societatis Institutio. At uti ad vias Molinismo sternendas, leges ejus de tenenda S. Thomæ doctrina concutere, necesse fuit; ita in tuendo Molinismo, ejusdem exempla minus re-mulari, fuit opus.

In hoc igitur conspiravit statim a Decreti Aquaviviani promulgatione, anno scilicet 1614. sociato cum aliis nonnullis exercitu. Sed id primum clam, & intra invidiæ modum; deinde auditæ voces, coitiones, ac minæ: postremo bella pluraquam civilia; quæ si describere vellem singula, non modo a presentis Historiæ Instituto longius abscedere, verum & libros implere, necesse foret. Philippum III., ac deinceps Philippum IV. adeo, immisiss quibusdam strictioribus cuspiam Instituto Monialibus, occuparunt, ut

(1) Thom. Surges in 4. Eluoid. ad mens. Maii. (2) Sect. 157.

suam in tuenda Conceptionis puritate salutem veluti postquam existimarent; atque idcirco pro obtinenda ejusdem definitione tres Romam Legationes decreverint; primam sub finem Pauli V. alteram sub Gregorio XV. tertiam sub Urbano VIII. tamen nulla eis pro voto cesserit. Plebem vero confectis revelationibus, ac miraculis, institutis festivitatibus, & sodalitiis, vulgatis tabellis, numismatibus, libris, concionibus, eo usque commoverunt fervidi susurriones, ut Prædicatores in Claustrorum penetralibus delitescere coacti sint, ne palam lapidibus appeterentur. Eoque perducta res est, quod vix postera credant sæcula, ut sacra Doctoris Angelici Imago, per ludibrium vili jumento superposita, per viros, per fora, per compita, circumducta fuerit, dementi, lymphatico infestante populo, ac per subannationem clamitante, *Sin peccato Originali, sin peccato Originali*.

Inter hæc tumultuantis plebis deliria, scripturunt de Conceptione Gundalzalus Lucero, (1) vir medullitus Molinista, & Ferdinandus Salazar (2) Societatis Jesu; qui novo astutia genere, pro tuendo Virginis privilegio, ad Scientiæ Mediæ lumen confingere: Rati forte, novam Molinismo apud vulgus accessuram auctoritatem, ubi illum ab Immaculate Conceptionis mysterio indivulsum audiret; nec ultra Hispaniæ Reges pro Auxiliorum definitione supplicatos, ne pæ, quam tuebantur, opinioni vires adimerent.

Nusquam Prædicatorum Ordo magis in ambiguo fuit. Timendus popularis furor, tractandi Augustorum animi, retinenda Apostolica Sedis benevolentia: ne in præcipiti negotiorum concursu, quod una manu colligere vellent, perderent altera. Conticuit igitur aliquantulum, donec abrupti silentii occasione fecerit Francisci Suarezii de Divina Gratia tripartitum Opus, anno 1620. typis editum, quo Moliniana dogmata, paulo honestius obducta, propugnabantur. Hæc vero fuit novæ molitionis origo. Binis Epistolis Cardinale Burgesium, Pontificiæ Curie Administrum, commoverat Franciscus Suares de felici alterius ejusdem libri sorte, quem ante aliquot annos pro Catholica fidei defensione adversus Anglicanos errores, & Magnæ Britannici Regis Apologiam eviderat; rogabatque, ut sibi edendi Operis de Gratia Christi venia fieret; quod jam a Paulo V. vetitum esset, ne quis ea de re scriberet citra Romanæ Ecclesiæ licentiam. Rescripsit Eminentissimus Princeps 26. Aprilis 1617., Sanctitatis Sux nomine, litteras admodum officiosas, pro asserta Ecclesiæ fide, & Apostolica Sedis auctoritate vindicata. Addebat vero: *Quod ad impressionem libri de Gratia pertinet, nulla propter doctrinam orta est difficultas. Existimat enim Sanctitas Sux, eam non discrepatam ab eruditione, & doctrina tot librorum, dudum in lucem a se editorum, qui omnium acclamatione excepti, egregie sustinent nomen, & famam, quam adepti sunt. Sed omnis emanavit difficultas ob qualitatem, que inibi disputatur, materia; de qua ne alii etiam agerent, qui de ea scripserant, efficaciterque pro facultate imprimendi insisterant, gravissimis de causis pro nunc non modo cautum, sed strictum vestitum fuit.*

Hinc Suarezii de Divina Gratia opiniones a Summo Pontifice probatas conclamavit viri boni. Quasi non ea essent Romanæ Curie officiosa responsa, quibus viris eruditis gratificari solet, qui aliqua in Apostolicam Sedem obsequia conferunt; aut aliud sibi vellent hujus Epistolæ

verba, quam vagam commendationem Suarezii doctrinæ, eruditionis, famæ, superioribus lubricationibus comparatæ? Nihil enim illic de Divinæ Gratie opinionibus speciatim pronuntiatum: de toto duntaxat Opere promiscue dictum, nullam propter doctrinam difficultatem præ se ferre; quod nempe, rebus in suspensio positis, ac nondum vulgato Apostolicæ Sedis judicio, pro arbitrio sentire liberum esset. Immo nec Romæ quidem lectus erat Suarezii liber, quo tempore rescriptis Cardinalis Administer, honestoque duntaxat augurio felicem ei fortem est ominatus. Existimat, inquiebat, Sanctitas Sux, non discrepatam ab eruditione, & doctrina librorum, dudum in lucem editorum: qua officiosa commendatione, virorum eruditorum libros, necdum lectos, aut evolutos, excipere solitum est.

Et certe (si tantillum ab instituto discedere liceat) æque valent hujus Epistolæ verba ad librorum antehac editorum commendationem; cum & omnium acclamatione excepti dicantur, adeptamque famam, ac nomen egregie sustinentes. Quis vero probatas idcirco putet defensatas in illis opinionibus, quas Decretis etiam Pontificiis damnatas esse, nemo nescit? De Confessione per litteras, & internuntium notum est, quam distincte Suarezii doctrina Clementis VIII. Decreto proscripita sit: quod dum ille in additione posteriori speciosis expositionibus emollire vellet, (3) ut opinionem suam eo telo minime petitam demonstret, meruit fulmen secundum: ac ne dissimulare jam posset, ex ipso sui nomine notatus est. Addam illud ex integro, ne & alii pro more suo dissimulare pergant.

Feria V. die 14. Julii 1605. in generali Congregatione sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis, habita Romæ in Palatio Apostolico, in Monte Quirinali, coram S. D. N. Paulo V. ac Illustrissimis, & Reverendissimis DD. Cardinalibus, contra hereticam prævocationem generalibus Inquisitionibus: proposita causa Patris Francisci Suares Jesuitæ, & consideratis his, que scripsit tom. 4. in 3. partem S. Thomæ, sectione 4. disp. 21. interpretando Decretum felicitis recordationis Clementis Pape VIII. die 20. Junii 1602. quo damnavit hanc propositionem, videlicet, Licet per litteras, seu internuntium, Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absolutionem obtinere: ac etiam mature discussis his, que idem P. Suares adduxit in defensionem sue interpretationis: auditis votis Illustrissimorum DD. Cardinalium, Sanctissimus decrevit, dictam interpretationem non subsistere, & ideo amovendam esse ab ejus libris, juxta Decreta alias facta a felicitis recordationis Clemente Papa VIII., de quibus in Actis sancti Officii.

De altera Suarezii doctrina, qua Virginem Deiparam in Christi Domini Conceptione semen ministrasse opinatur; (4) minus quidem notum judicium est; certissimum tamen. Ad Romanæ Inquisitionis Tribunal delata est, anno 1609. Episcopos, ac Theologos ad examen designavit Paulus V. die 4. Junii, numero quatuordecim: qui sua post maturam difficultatis examen suffragia contulerunt die 4. sequentis. Undecim in damnationem conspirarunt; tres solum (quorum unus e Societate erat, Benedictus Justinianus) propositionem absolvere. Ac tandem die 16. Julii, propositione per manus missa, ob argumenti inhonestatem a Decreto publice edendo temperandum censuit Sanctissimus Pontifex, ferendum tamen remedium in se sumpsit: (5) Ordinatum

rum se, iniquis, Generali Societatis Jesuitarum, prout alias fecit, ut monent Patres sui Ordinis, ut, quando adest communis sensus Doctorum, & Theologorum, non scribant in contrarium. Id obiter notatum velim, non ad cusquam invidiam; sed ut omnes intelligant, que sit officiosarum Epistolarum pro libris in futurum edendis auctoritas; cum etiam editos commendari videamus, quos non ita pridem spongia dignos Pontifices pronuntiaverant.

Interea, negata licet Romanæ Curie licentia, prodiit Suarezii tripartitum Opus anno 1620. triennio ab Auctoris obitu; media tamen sui parte mutilatum, qua questiones de intrinseca Divinæ Gratie efficacia ex instituto tractabatur. Id ut didicist Prædicatorum Ordo, cæpit apud Apostolicam Sedem habitas olim pro Contrroversiæ definitione supplicationes renovare, ne litterarum longissimo tempore emori sineret. Ea de re in Capitulo Generali Mediolanensi deliberatum anno 1627. Fuere, qui iniqua tempora objectarent, ob excitatas de Conceptione disputationes, turbatos in Hispania Religiosos Ordines, commotum ubique plebem, Romanam Curiam plus nimio defatigatam, Catholici Regis Oratorem aliis studiis occupatum; que omnia vulgandæ Pontificiæ definitionis spem eripiebant. Vicit nihilominus cæterorum opinio, qui, licet hujuscemodi supplicationem pro voto obtinendo intemptivam faterentur, habendam nihilominus existimabant, ut saltem ostenderet universon Ordo, nullis se tot zmulorum ambagibus ab instituto dimoveri, certissimamque adjudicatam sibi litis confidentiam tutum esse. Statutum est insuper, pro tuenda Ordinis fama, communi Provinciarum assensu, apud eandem Apostolicam Sedem supplicationem pro recentis de Conceptione controversiæ definitione; non quemadmodum Hispani, alique promiscue precabantur, qui Pontificis præcepto judicio, quam mallent ipsi, controversiæ partem definiri, postulabant; sed ut eam ultimo decerneret, quam ipsemet, præmissa solenni disputatione, veterumque Patrum evolutis monumentis, probaret magis. Uramque supplicationem accipe ex publicis Ordinis monumentis.

Supplicatio Ordinis Prædicatorum coram Gregorio XV. pro declaratione judicii Pontificii in Causa Congregationum de Auxiliis.

BEATISSIME PATER.

Ad Sanctitatis Vestræ pedes demissi gemitum Ecclesiæ fidenter exponimus, que divisos videns filios suos, veluti divitis visceribus, ingemiscit. Videt namque, inter acerrima diffidia illi sibi ad invicem adversari, dum alii unam fidem, alii oppositam circa Gratiam Salvatoris, Divinam Providentiam, Prædestinationem, Justificationem, & merita nostra, proclamant. Et enim censent alii alios Pelagianos; alii e contra alios vocant in doctrina Manichæos, & Calvinistas. Ad que tollenda diffidia necesse est, Beatissime Pater, hæc ab inferis evocata auferre (idque flagitamus) atque speramus summa optimi Pastoris vigilantia destruenda. Necesse est, inquam, hæc componere, & que de fide tenere in prædictis materiis debeant, publicare.

I. Quia de ratione Ecclesiæ unitas est, secundum illud, *Unam Sanctam Ecclesiam*, quam diviso fidelium circa ea, que fide credenda sunt, tollit sine dubio. Cum ergo hæc controversia divisionem continet circa ea, que sunt fide

credenda, nempe Christi Domini gratiam, & liberum hominis arbitrium, non dubium, quin ista divisio eo tendat, ut Ecclesiæ tollat Unitatem, quam supremus Ecclesiæ Pastor, cui Dominus suam commisit Ecclesiam, servabit integram, divisionem istam tollendo, & omnes per suam definitionem ad unitatem fidei revocando.

2. Ex his contradicitoriis sententiis circa prædicta, necesse est, alteram, secundum fidem, veram esse; alteram vero, contra fidem, falsam. Quomodo ergo causa ista indeterminata manere potest, permittendo magnam Ecclesiæ partem, five hanc, five illam falsam doctrinam contra fidem tenere, docere tum verbo, tum scripto, & libris ubique publicare?

3. Præterea, in hoc vera Ecclesiæ a falsis discernitur, & a Synagogis malignantium, quod in illis divisio est, contentio, contradictio: ex quo constat, Deum in eis non esse, cum non sit Deus contentio, & divisio, sed unitas, & pax. In vera autem Ecclesiâ multitudinis credentium debet esse cor unum, & anima una; Omnes enim, ut clamant Apostolus, idem debent sapere. Si ergo divisio circa res fidei in Ecclesiâ toleratur, & contradictio, non jam ita erit discernere hanc veram Ecclesiam ab aliis falsis; quia deficit unitas, & concordia in credendo ea, que ad veram fidem spectant.

4. Quod si dicatur, divisionem non esse cum pertinacia, quia parati sunt omnes, que de fide sunt credere: proponatur ergo; & tollatur ab Ecclesiâ divisio, & unitas conservabitur.

Item ab Apostolorum temporibus usque ad hæc nostra vigilarunt semper Pontifices Summi, exortas controversias circa fidem quam celesiter terminare. Quod & Gregorius etiam XIII. feliciter adimplevit in Bulla contra Michachem Bojum, quam sub his verbis publicavit. *Gregorius Episcopus, Servus servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Provisionis nostræ debet provenire subsidio, ut ea, que a Prædecessoribus nostris emanarunt, suadent maxime fidei catholicae conservatione, ubiqueque opus est, producantur. Quare nos renovare litterarum felicitis recordationis Pii Pape V. Prædecessoris nostri, in ejus registro reperitur, deservit, & presentibus annotari facimus, qui talis est. Pius, Episcopus Servus servorum Dei, Ad futuram rei memoriam: Ex omnibus afflictionibus, que, in hoc loco a Domino constituti, tam luculose tempore sustinimus; ille animam nostram excruciat dolor, quod Religio Christiana, tantis jam pridem turbibus agitata, novis quotidie propositis opinionibus afflicta; Christianique populus, antiqui hostis suggestionibus disiectus, in alios, atque alios errores passim, & promiscue deserat. Quantum vero ad nos atinet, totis viribus conamur, ut ille, simul atque profiliunt, penitus opprimantur. Magna enim merore afficimur, quod plerique spectato alio, qui prohibitis, & doctrinæ, in varias sententias, offensionis, & periculi plenas, tum verbo, tum scriptis prorumpunt; deque eis in Scholis invicem controversantur, &c.*

Cum ergo & modo gravissimæ controversiantur questiones de Gratia Christi Domini, an videlicet ex Deo ipso efficax sit ad salvandum de facto homines, an potius illam homo sibi faciat efficacem; cum aliis, ad Dei providentiam, prædestinationem, Divinam causalitatem, & potestatem, atque dominium, quod Deus habet supra humanam libertatem, spectantibus; factaque fuerint a felicitis recordationis Clemente VIII. & Paulo V. disputationes plu-

(1) Lucero tract. de Concept. cap. 4. (2) Salazar. cap. 9. §. 3. (3) Tom. 4. De Pænit. disp. 10. sect. 3. & disp. 31. sect. 4. (4) 3. Part. disp. 10. sect. 1. (5) In Bibli. Burg. vol. sig. n. 18. fol. 19.